



BALNEUM SEQUANICUM.

C A R M E N.



UO fluviomersus, quo sim discrimine lethi

Servatus puer, aspices modò, Phœbe, canenti,

Expediam, & primæ revocabo tempora vitæ;

Infelix trepidos circùm Bellona tumultus
Dum ciet, indomitæque parant nova prælia gentes.

Alta Parisiacæ mediis in mœnibus Urbis
Erigitur sacrâ notissima Virginis æde
Insula, plebe frequens, domibusque ornata superbis,
Alma Themis sedes. Quadrati margine saxi
Ripa ambit totam; spumantes Sequana circùm

A

H. J. 77.
(32)



* Vulgò
le Terrain
derrière
Nôtre-
Dame.

Volvit aquas, mediamque secans interluit urbem,
Hîc, ubi se partes fluvius diffindit in ambas,
Longiùs & saxis illisa remurmurat unda,
Terreus * Agger erat quondam. lapis omnia sectus
Nunc tegit, & variis halantes floribus horti:
Littus arenosum subter, lymphæque salubres.
Hîc, torret longis agros cùm solibus æstas
Acrior, & magno tellus ardore dehiscit,
Corporis immodicos frigenti temperat æstus
Gurgite, pressa comas tenerâ cum virgine mater,
Levia perfundens illimi membra liquore.
Parte aliâ densam videas nullo ordine pubem
Fluctibus in mediis studio gestire natandi.
Hic latum tranat flumen, fretusque lacertis
Atque animis ardens, vocat in certamina Nymphas,
Et rapidos cursu fidit prævertere pisces.
Ille altâ de puppe locum speculatus, apertum
Emicat in fluvium præceps; sub vertice fluctus
Æstuat, & tremulos latè sinuatur in orbes.
Terrentur visu matres, ripæque resultant
Murmure; læta fremit plausu studioque juvenus.
Is subit inter aquas medius, lustratque liquentem
Obscurus campum; madidum mox tollit ab undis
Emergens caput, & patulo resupinus in altum
Ore ejectat aquas; paribus nunc æquora palmis,

Nunc secat alternis , & puro ludit in alveo.
 Cæruleus qualis Tyrrheno in marmore Delphin ,
 Vere novo luces orbi referente ferenas ,
 Cùm Pisces Aries rutilus depresso aquosos ,
 Exultans vada falsa legit , mutamque catervam
 Provocat ad ludum ; aut horrentibus hispida squamis
 Tergora convolvens pinnis diverberat undas.
 Fit sonitus , spumis albescunt æquora circum.
 Ipse quidem , medium verrit dum cætera flumen
 Turba , breves ripam juxta tentare natatus
 Assueram puer , & molli colludere arenâ.

At , mihi quod fatum fortuna infida parârit ,
 Pandere nunc tempus. Memori sub pectore vivet ,
 O Deus , æternum mirandi gratia facti.
 Nam , vagus ut pleno currebat flumine , nimbis
 Effusus longis , rivisque perennibus amnis ,
 Declives undas lentus , murmurque sonorum
 Dum miror , pascitque animum prospectus inanem ,
 Incautum rapido dementia cepit in æstu ,
 Immemor heu ! fallacis aquæ cæcique pericli ,
 Ut me torrenti vellem permittere fluctu.
 Mens etenim quanquam gelido perculsa timore
 Horret , & ancipiti trepidant præcordia motu ,
 Allicit arridens Neptunus , turba natantum
 Invitat , verbisque urget lasciva morantem.

Quartus ab undecimo jam tum me ceperat annus :
 Jam citharæ noram Phœbum , blandique potentem
 Eloquii , Aonioque habitantes vertice Mufas ,
 Palladis intentus studiis , gratoque labori.
 Ergo amens fluvium rejecto nudus amictu
 Ingredior. Celeri decurrens agmine nantem
 Unda trahit ripis procul , ac terroribus implet.
 Tum vada cæca pedes fallunt : non figere gressum,
 Non vis ulla potis fluctus superare rapaces.
 Pœnitet incœpti : socios littusque relictum
 Aspectans , sævoque animum discrimine vitæ
 Turbatus , revocare pedem non viribus æquis
 Aggredior : tardum sedenim ac defessa moventem
 Brachia nequicquam , prono rapit alveus amni.
 Nil me spectantum clamor , nil vota dolentum
 Sortem infelicem , aut artes juvêre decoræ
 Musarum. Non te flavo formosa capillo ,
 Sequana dure , movet cervix , non ora , genæque
 Impubes , primoque vicens in flore juvenus.
 Jamque Pater , tuque ô funus dolitura nefandum
 Cara vale Mater ; spes vos mihi nulla videndi.
 Anne super possit misero spes esse salutis ?
 Pectore sed mœsto gemitusvolvuntur inanes.
 Fumosos peregrina cados , laticemque Lyæum
 Detulerat pinus vicina ad littora , celso

Quam longus ripæ religabat ab aggere funis.
 Huc feror, & proram subter latamque carinam
 Naufraga membra vorant immani gurgite fluctus;
 Continuò volvunt rapidi, raucumque sonantes
 Huc illuc sine more rotant: nunc summus arenas
 Illidit vertex, putris nunc robora cymbæ:
 Invalidi per inane pedes palmæque trahuntur;
 Ora per & nares dirus subit imber, & udæ
 Spiramenta animæ claudit, vitæque meatus.
 Cor languet; tumido grassatur pectore pestis;
 Ultima crudeles torquent mihi stamina Parcæ.

Hæc inter (neque enim fluvio confusa sub imo
 Mens hebet, aut mediâ nescit se morte teneri)
 Offensi subeunt ultrices Numinis iræ,
 Vita nocens, scelerum pœnæ, deformis & Orcus,
 Et caligantes æterno in carcere flammæ.
 Flectere tum votis, pacemque exposcere Numen;
 Et quoniam non labra valent, non frigore lingua
 Lethæo torpens, tacitâ sic mente precari:
 Virginis intactæ Proles, idemque Tonantis
 Incrementum ingens, Deus ô miserere; furenti
 Me primùm fluvio atque instantibus eripe fatis.
 Sin absumpta salus, nec habet fors atra regressum:
 Offendisse tuum non uno crimine numen
 Quando piget, mihi dura tuæ per vulnera mortis,

Da pallentem Erebum immanesque evadere flamm^{as}.
 Diva, salus hominum, Christi purissima Mater,
 Si precibus crebris, merito si semper honore
 Te colui, dubiis, Virgo, ne defice rebus.
 Vix ea: præsentem videor mihi cernere Christum
 Cœlesti sublimem arcu, atque agnoscere vultus,
 Pubentesque genas, & divinum ore decorem.
 Nudi humeri: tyrio vestis circumdata limbo
 Ad lumbos demissa, pedes & crura tegebat:
 Aurea cæsaries, claro radiantia nimbo
 Tempora; sed sævâ trajectum cuspide pectus,
 Transfossæque manus; veterum argumenta dolorum.
 Supplicibus Natum votis dilecta parantem
 Judicium, inflexo retinebat poplite Mater;
 Multa rogans summum nostræ per gentis amorem,
 Per duros vitæ casus, fuscumque cruorem,
 Quem dedit, immiti ut miseros revocaret ab Orco,
 Sidereâque poli felices arce locaret.
 Mitior ut placido Judex audire precantem
 Ore videbatur, pulso spes læta timore
 Affulsit dubiæ menti; ceu lumine terras
 Cùm recreat surgens Eois Phœbus ab undis,
 Aut ubi collectas summo fugat æthere nubes.

Haud seciùs vita in tenues dilabitur undas
 Paulatim, membrisque animam mors atra resolvit;

Præcipitem donec Lachesim, immaturaque præsens
 Fata premit Deus, & fluvio me reddit ab imo.
 Excipiunt properi nautæ, lemboque reponunt
 Languentem, ac gelidum removentem pectore flu-
 men.

Inde, ubi defessis rediit calor artubus, ægrum
 Me refero; sacrumque ingressus limen, ad aras
 Corpore prostratus tibi, Christe, piæque Parenti,
 Quâ sum naufragio, Stygiisque ereptus ab umbris,
 Æternas reddo tali pro munere grates.



JOAN. MARIE;
 in Academiâ Parisiensi
 Artium Magister.

Cum Permissu.

M. DCC.II.